

Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,  
 Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.  
 Suave etiam belli certamina magna tueri  
 Per campos instructa, tuâ sinè parte pericli :  
 Sed nil dulcius est, benè quâm munita tenere  
 Edita doctrinâ sapientum templa serena,  
 Despicere undè queas alios, passimque videre  
 Errare, atque viam palantes quærere vitæ,  
 Certare ingenio, contendere nobilitate,  
 Noctes atque dies niti præstante labore  
 Ad summas emergere opes, rerumque potiri.  
 O miseras hominum mentes ! ô pectora cæca !  
 Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis  
 Degitur hoc ævi quodcumque est ! Nonne videre est  
 Nil aliud sibi naturam latrare, nisi utque  
 Corpore sejunctus dolor absit, mensque fruiatur  
 Jucundo sensu, curâ semotâ metuque ?

(LUCRÈCE, *De la nature*)

## VI

### LE RAT DES VILLES ET LE RAT DES CHAMPS.

Rusticus urbanum murem mus paupere fertur  
 Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum ;  
 Asper, et attentus quæsitus, ut tamen arctum  
 Solveret hospitiis animum. Quid multa ? Neque ille